

BIBLIOTHECA CATHOLICA  
364 (Q. 373) De Missis quotidianis

tiones Celebranti placuerit recitare..... id fieri potest tantum in Missis lectis, impari cum aliis præscriptis servato numero, et Orationi pro omnibus Defunctis postremo loco assignato. »

Ita præscribit Rubrica Missalis Romani (Tit. V, n. 4), reformata 11 Decembris 1897, post Decretum S. Rituum Congregationis diei 30 Junii 1896 (n. 3920).

Ulterior hujus Rubricæ expositio, pro Orationibus in Missis quotidianis de *Requiem*, data fuit Q. 324, 5<sup>o</sup> et 6<sup>o</sup>, et Q. 325, 5<sup>o</sup> et 6<sup>o</sup>.

Q. 373. *Quid notandum est de Missis de Requiem, quæ celebrantur in sepulcretorum Sacellis?*

R. I. Romæ, in Italia, et in quibusdam aliis regionibus, non raro construuntur in sepulcretis, seu coemeteriis parva Sacella super sepulchrum alicujus particulatis defuncti, aut super sepulchrum commune alicujus familiæ, vel Religiosæ communis; munita Altari portatili, in legitima distantia a cadavere disposita: quæ Sacella sunt Oratoria privata, usui publico non aperta, in quibus membra familiarium possunt assistere Sacrificio inibi celebrato ex Indulto particulari.

Per Decretum 19 Maii 1896, ratum habitum et confirmatum 8 Junii 1896 (n. 3903), S. Rituum Congregatio, ad juvamen fidelium defunctorum, et ad spirituale solatium vivorum, quoad Sacella particularia decrevit:

« In quolibet Sacello sepulcreti, rite erecto vel eriendo, Missas, quæ inibi celebrari permittuntur, posse esse de *Requiem*, diebus non impeditis a Festo duplice vel 2 classis, a Dominicis, aliasque Festis de præcepto servandis, necnon a Feriis, Vigiliis, Octavisque præscriptiis. »

Notandum est, quod per hoc Decretum non datur permisso celebrandi Missas in quocumque Sacello sepulcreti; sed conceditur in hujusmodi Sacello, rite erecto vel eriendo, Missas lectas, quæ inibi jam ex Indulto particulari celebrari permittuntur, quibusdam diebus posse celebrari de *Requiem*. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, X, 1896, pag. 681.) Missæ inibi non possunt celebrari nisi lectæ, cum hæc Sacella, uti dictum jam fuit, sint Oratoria omnino privata.

De Indulto Missarum de « Requiem » (Q. 374) 365

Privilegium igitur in hoc consistit, quod, dum Missæ quotidianæ de *Requiem* prohibentur in aliis Ecclesiis et locis, in Festis duplicibus majoribus et minoribus, permittuntur celebrari lectæ in Sacellis sepulcretorum, in iisdem Festis, dummodo Indultum celebrationis Missarum sit concessum.

Cæterum, Missæ de *Requiem* inibi celebratæ, nisi dicantur in diebus solemnibus seu præscriptiis Defunctorum, sunt ritus simplicis, sicut Missæ quotidianæ Defunctorum, et iisdem ac istæ regulis omnino reguntur, quoad numerum, qualitatem, et ordinem Orationum.

II. In nostra Diœcesi rarissima sunt hujusmodi particularia Sacella, de quibus supra agitur; sed in quibusdam ex nostris coemeteriis, quæ non existunt circa aut juxta parochiales Ecclesias, constructum reperitur ad usum coemeterii Oratorium quoddam, quasi dependentia coemeterii, in quo nonnumquam exstat etiam Altare portatile, et ex Indulto speciali possunt Missæ celebrari.

Per Decretum 12 Januarii 1897, rescripsit S. Rituum Congregatio, quod privilegium circa Missas lectas de *Requiem*, concessum Sacellis sepulcreti, favet etiam Oratorio publico ac principali ipsius sepulcreti. Ibi igitur quoque poterunt legi Missæ de *Requiem* in Festis duplicibus majoribus et minoribus.

Non autem favet dictum privilegium illis Ecclesiis vel Cappellis, quæ extra coemeterium sunt constructæ, et subter quas ad legitimam distantiam, nempe unius metri ab altari, alicujus defuncti cadaver quiescit. (Decret. 12 Januarii 1897. n. 3944, ad 1.)

Neque favet ipsis Ecclesiis parochialibus quæ circumiacens habent coemeterium parochiale. (Decret. 28 Aprilis 1902, ad II; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVI, 1902, pag. 353.)

ARTICULUS VII

DE INDULTO CANTANDI MISSAS DE « REQUIEM » ETSI RITUS DUPLEX OCCURRAT

Q. 374. *Quodnam Indultum concessum fuit 11 Julii 1872 Diœcesi Mechlinensi, pro celebrandis Missis de Requiem?*

366 (Q. 375, 376) De Indulto Missarum de « Requiem »

R. Concessum fuit Indultum, cuius vigore licet, tribus in hebdomada vicibus, cantare (non autem legere) Missam de *Requiem*, etsi ritus duplex occurrat; exceptis Festis duplicibus 1 et 2 classis, Festis de præcepto servandis, Feriis privilegiatis, Vigiliis privilegiatis, et Octavis privilegiatis.

Intelligendum est Indultum hoc sensu, quod tribus diebus diversis licet cantare **Missas plures** de *Requiem*, ut e sequentibus patebit.

Q. 375. *Pro quibus Ecclesiis, sub qua conditione, et qua de causa concessum fuit hoc Indultum?*

R. I. Ecclesiæ pro quibus Indultum concessum fuit, sunt Ecclesiæ parochiales Diœcesis, aliæque, quæ in parochialium subsidium jure sepeliendi fideles laicos gaudent; intelliguntur autem Ecclesiæ non tantum tempore concessionis existentes, sed et postea erectæ et erigendæ.

II. Conditio addita fuit, quod peculiaria hujus generis Indulta, aliquibus ex prædictis Ecclesiis forsan concessa, abrogata remaneant.

III. Causa allegata fuit, ut in iisdem Ecclesiis satisfieri queat oneribus, tum fixis, tum adventitiis, Missarum pro Defunctis, cum in Kalendario Archidiœceseos fere nulli inveniantur dies liberi in quibus cani possint prædictæ Missæ. (Cfr. Q. 370, in fine Notæ.)

Q. 376. *Utrum licet cantare Missas de Requiem tribus diebus ritus duplicitis, etiamsi in hebdomada occurrant Festa seu Officia, in quibus Missæ hujusmodi per se possunt celebrari?*

R. Pluribus Decretis declaravit S. Rituum Congregatio, Indulta hujusmodi eo sensu concedi, ut liceat in unaquaque hebdomada determinare dies tres, modo tot occurrant præter exceptos, etiamsi in eadem illa hebdomada reliqui tres dies ex iis essent qui Missas quotidianas de *Requiem* admitterent. (Cfr. Decreta 18 Decembris 1878, n. 3472, antiq. 5756, ad 1; et 15 Aprilis 1880, n. 3514, antiq. 5808.)

EXEMPLUM: Si in aliqua hebdomada occurrerent Festa semi-

De Indulto Missarum de « Requiem » (Q. 377, 378) 367

duplicia, aut dies infra Octavam communem, quæ per se Missas de *Requiem* quotidianas admittunt, in Feria V, Feria VI et Sabbato; et si in eadem hebdomada Feriis II, III et IV celebrentur Festa duplicita majora vel minora; licebit, nonobstantibus tribus diebus liberis pro Missis de *Requiem*, determinare istas Ferias II, III et IV, pro Missis de *Requiem* vi Indulti cantandis. Unde in hoc casu, per totam hebdomadam hujusmodi poterunt quotidie Missæ de *Requiem* cantari, et tribus ultimis diebus etiam legi.

Q. 377. *Utrum ritus duplicitis plures Missæ de Requiem cantari possunt in eadem Ecclesia?*

R. Ad hujusmodi quæsitum Episcopi Tarentasensis in cuius Diœcesis Ecclesiis permittitur tribus vicibus in hebdomada cantare **Missas** de *Requiem*, S. Rituum Congregatio respondit, posse in die ritus duplicitis plures Missas de *Requiem* cantari in eadem Ecclesia. (Decret. 18 Decembris 1878, n. 3472, antiq. 5756, ad 2.)

Quæ responsio pro nostra Diœcesi etiam admittenda est, etiamsi tenor Indulti Mechliniensis omnino idem non sit, cum in eo dicatur licere cantare tribus vicibus **Missam** de *Requiem*; cuius sensus sequens exponitur in Conferentiis ecclesiasticis Archidiœcesis Mechliniensis, anni 1880 (ex Liturgia Q. I): « Vox Missa in rescripto Mechlinensi non sumitur restrictive pro una Missa, sed collective pro Missis quæ eo die in Ecclesia cantantur. »

Q. 378. *An Indultum hoc locale est, an personale? Quomodo in praxi erit agendum pro determinandis diebus, in quibus Missæ de Requiem vi Indulti poterunt cantari?*

R. I. Indultum hujusmodi certo locale est, non personale; datum est enim Ecclesiis, non Sacerdotibus, licet indirecte ipsis faveat. Non enim conceditur singulis Sacerdotibus, ter per hebdomadam, in diebus liberis, ad suum libitum eligendis, cantare Missam de *Requiem*, ita ut, ubi duo in una Ecclesia sunt, unus Indulto frueretur Feriis II, III et IV, alter Feriis sequentibus; nam eo modo haud tribus tantum, sed et sex diebus cantaretur Missa de *Requiem*, quod contra Indultum esse nemo non videt. Sed conceditur Indultum Ecclesiis, in quibus, quotquot adsunt Sacerdotes, possunt cantare Missam de *Requiem*, tribus diebus hebdomadæ

368 (Q. 379, 380) De Missa de « Requiem » coram Ssmo liberis, qui pro singulis Ecclesiis hebdomadatim determinandi erunt. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, V. 1891, pag. 507.)

II. Pro praxi, Parochi seu Rectoris cujusque Ecclesiæ Indulto gaudentis officium erit, singulis hebdomadis determinare, qui sunt dies, quibus in hac Ecclesia Indultum applicabitur, et in quibus omnes Sacerdotes ibi celebrantes poterunt Missas de *Requiem* solemniter vel in cantu celebrare.

Q. 379. Quænam ex quatuor Missis de *Requiem* sumitur pro Missis cantandis vi hujus Indulti? Quæ regula statuenda est pro Orationibus? Quæ pro Sequentia?

R. I. Missæ de *Requiem* quæ possunt cantari vi hujus Indulti, ut patet, non sunt de illis, quæ in diebus solemnibus seu privilegiatis Defunctionum celebrantur; ergo sumitur Missa quarta, seu quotidiana, cum facultate cantandi Epistolas et Evangelia ex una trium reliquarum Missarum. (Cfr. Q. 371.)

II. Orationes in istis Missis cantari debent tres, et plures non possunt cantari: earum prima erit pro Defuncto, vel Defunctis, certo designatis, pro quibus Sacrificium offertur; secunda ad libitum Celebrantis; tercia pro omnibus Fidelibus Defunctis.

Si vero pro Defunctis in genere Missæ hujusmodi celebrentur, Orationes tres dicendæ sunt, quæ pro Missis quotidianis in quarta Missa de *Requiem* protestant, eodemque ordine, quo ibidem sunt descriptæ (cfr. Q. 372).

(Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XII, 1898, pag. 20-38.)

III. Quia istæ Missæ debent esse cantatae, in eis semper dicenda est Sequentia *Dies iræ*. (Cfr. Q. 326.)

## ARTICULUS VIII

### DE MISSIS DE « REQUIEM » TEMPORE EXPOSITIONIS SS. SACRAMENTI

Q. 380. Expone diversas regulas de celebrandis Missis de *Requiem* tempore Expositionis SS. Sacramenti.

R. 1º In omni Altari in quo exponitur SS. Sacramen-

De Missis de « Requiem » coram Ssmo (Q. 380) 369

tum, sive publice in Ostensorio, sive privatim in Pyxide velata, quæcumque Missa de *Requiem* omnino prohibetur toto tempore quo Expositio perdurat. (Cfr. Decret. S. Rituum Congregationis 14 Junii 1873, n. 3302, antiqu. 5551, ad 2.)

2º Quando SS. Sacramentum exponitur ob gravem causam et publicum Ecclesiæ bonum, prohibentur Missæ de *Requiem* ad omnia Altaria Ecclesiæ, sive Expositio fiat publica in Ostensorio, sive fiat privata in Pyxide velata; quia, ait Gardellini (*Commentaria in Instructionem Clementis XI*, § 17, n. 4), publica concorrente causa, « Expositio, quocumque modo fiat, semper aliquam solemnitatem habet. » (Cfr. Decreta 7 Maii 1746, n. 2390, ad 4, antiqu. 4181, ad 9; et Decret. 28 Aprilis 1902, ad 14, apud Ephemerides Liturgicas, XVI, 1902, p. 356.)

3º Quando SS. Sacramenti Expositio fit ex causa privata, et modo tantum privato, in Pyxide velata, in aliis Altaribus et Capellis Ecclesiæ, excepto Expositionis Altari, Missæ de *Requiem* celebrari possunt.

4º Quando SS. Sacramentum expositum est solemnissime, pro Oratione XL Horarum seu Adoratione perpetua, in omnibus Ecclesiæ Altaribus prohibentur quæcumque Missæ de *Requiem*. » Dedece enim, ait Gardellini (loco citato, n. 1), quod cum lugubri apparatus celebrentur Defunctionum Missæ, ubi Sacramentum est triumphaliter expositum, præsertim quia in his haud adjici potest Commemoratio Sacramenti, quam in Missis privatis omnibus, si per Rubricas licet, Instructio Clementina demandat. » (Cfr. Decret. 19 Junii 1875, n. 3357, antiqu. 5613, quo antiquiora Decreta minus severa emendantur.) — Quod attinet ad Missam diei Obitus, quæ tot privilegiis gaudet, etiam hæc, juxta citatum Decretum non permittitur in Ecclesiis in quibus hæc Expositio peragitur: in Ecclesiis non, nisi Sacramento reposito, cadavera debent inferri, et exsequiæ vel anticipari vel differri debent; et quando necessitas cadaver in Ecclesiam inferri cogeret, tumulari debet privatim, et absque solemnitate ulla, adeoque et sine Missa. (Gardellini, loco citato, n. 8.)

5º Quando SS. Sacramentum expositum est minus  
S. LITURG. TRACT. DE RUB. MISS.